



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

8. Patienti[a]e per morbos meritum etiam alijs posse in satisfactionem  
esse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

quam lapis in centro suo conquiescit; aut saltem propendet in id, ut semper crescat, semperque magis ac magis, usque ad summum, quod potest, summum bonum amet: siquidem nullum habet terminum huius dilectionis. Quoniam ergo in Purgatorio altero, nec Deum intuetur, nec perficitur ad eum magis videndum atque amandum, versaturque ibi anima extra suum centrum, & violenter; fit, ut videns se pati quidem, sed non proficere & crescere in charitate, affligatur. Qua afflictione caret, quando cogitat se, in huius vitæ Purgatorio morbos patienter sustinendo, & gratiæ mereri, & gloriæ incrementum. Hæc talia, si ægrotus cum Alphonso considerat, huius vitæ Purgatorium, & mille morbos desiderat, ac Purgatorium futurum in præsens libens volensque commutat. Cui etiam ipsa charitas, & amor patiendi pœnam omnem, omnemque dolorem reddit, dulciorē; sine qua utique etiam leuissimus dolor nimis molestus, atque intolerabilis videtur. Est enim vetus Poëtæ dictum.

Placet in  
Cæsin.

*Neque falsum, neque suave esse potest quicquam,  
ubi amor non admiscetur.*

*Fel, quod amarum est, id mel faciet, hominem ex tristi  
lepidum & lenem.*

VIII.

Nemo igitur miretur, Alphonsum, inter summos morborum dolores, identidem clamasse: *O IESU, plus; plus, ô IESU; plus, ô Maria; ô Maria, impetra mihi, ut plus patiar.* Nam quò plus patior, plus mereor: & cum crescente morbo, gratia gloriæque mea crescit; idemque est infirmitatis, & charitatis meæ augmentum. Neque verò amor dumtaxat Dei, sed etiam proximi, illi stimulus fuit, ut plus vellet pati. Ægrotus enim etiam; pro alijs, siue vivis, siue defunctis, dolores suos offerebat. Eratque illi magnum gaudium, & beneficij loco Numini gratias agebat, ob tale Purgatorium, in quo ipse & pro se, & pro alijs diuinæ justitiæ pœnas posset exolvere; quod in alterius vitæ Purgatorio non potuisset. Hæc res quàm magna sit, tunc magis animo capiemus, si meminerimus, à probatæ authoritatis Doctoribus doceri, posse aliquem, qui velit ægrotus vehementem unius diei dolorem satisfactionemque animæ in Purgatorio detentæ communicare & applicare, eius debitum solvere, & posse etiam ita

oppor-

opportune id facere, ut suo illo febrili æstu, illa à Purgatorio igne liberata statim auolet ad suam beatitatem, pro tanto suo benefactore ibi itidem impensissimè precatura. Hunc zelum Alphonso fuisse, credibile facit; quòd zeli eiusdem incredibili ardore à Deo petierit, etiam Auerni ignem, ad tempus pati, ut vel vilissimi Mauri animam ab æterno igne liberaret. Quam eius voluntatem ad eò sibi gratam fuisse testatus est Christus, ut ostensa tota multitudine animarum, quæ à condito mundo creata fuerant, diceret illi: *Hæc tua patiendi voluntas, eam à mea bonitate mercedem accipiet, quam sperauisses, si omnes hi Turca, Ethnici, Hæretici, immò tota hæc multitudo à te conuersa esset. Tanti fit apud Deum amor patiendi, & sicis animarum.*

Quin etiam apud homines, futura magis quàm præsentia æstimantes, ea est morborum æstimatio, & tantum pretium, ut se existiment, tunc à Deo non amari, quando morbis, vel alijs calamitatibus non castigantur. *Senex quidam erat, qui frequenter agrotabat. Contigit autem eum vno anno non egrotare: qui affligebatur grauius, & plorabat, dicens: DERELIQUIT ME DEVS, ET NON VISITAVIT ME.* Quàm diuersa sunt sanctorum, & profanorum, Dei & Mundi iudicia! Homines sæculi plorant, cum agrotant; homines Dei in lachrymas effunduntur, & se à Deo derelictos arbitrantur, quando morbis non visitantur. Nempe sciunt se *spectaculum factos esse mundo, & Angelis, & hominibus.* Itaque quando siue in morbo, siue in lecto cubant, lectum putant esse arenam ac locum certaminis, in quem à conditore suo inducuntur; frigus, æstum, alterationes, fastidia ciborum, naufeas, sitim, dolores & angores, molestias medicamentorum, existimant esse lanistas & aduersarios, aut etiam bestias cum quibus pugnant. Quare oculos in cælum mittunt. Ibi cum S. Stephano aiunt: *Ecce video calos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei,* tamquam Agonotheram, & pugnas meas spectantem, victoriasque numerantem, & identidem lætissimis acclamationum vocibus, ad fortiter faciendum, me exhortantem, animantemque, quia de honore ipsius agitur, & de mea corona. Est enim honor illius, si habeat fortes athletas; est meum lucrum, si multos magnos hostes vinco. Quemadmodum igitur

IX.

Ruffin. lib 3.  
n. 158. Pasch.  
cap. 20. n. 2.  
& Rosveid.  
lib. 5. de vitis  
PP. libel. 7.  
de patient.

1. Cor. 4. 9.

AA 7. 55.